Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dyabolus in sanctam ciuitatem et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei. Si filius dei es; mitte te deorsum. Scriptum est enim. Quia angelis suis mandauit de te; et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi ihesus rursum. Scriptum est. Non temptabis dominum deum tuum. Iterum assumpsit eum dyabolus in montem excelsum ualde; et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit ei. Hec omnia tibi dabo; si procidens adoraueris me. Tunc dixit ei ihesus. Vade sathanas. Scriptum est enim. Dominum deum tuum adorabis; et illi soli seruies. Tunc reliquit eum dyabolus; et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. Off. Scapulis suis obumbrabit tibi dominus et sub pennis eius sperabis scuto circumdabit te ueritas eius. Secr.

Sacrificium quadragesimalis inicii suppliciter immolamus te domine deprecantes; ut cum epularum restrictione carnalium a noxiis quoque uoluptatibus temperemus. Per.

Scapulis suis obum. Co. brabit tibi et sub pennis eius sperabis scuto circumdabit te ueritas eius.

Qui nos domine. Post co. Sacramenti libatio sancta restauret; et a uetustate purgatos in mysterii salutaris faciat transire consortium. Per.

Sicut oculi. Feria secunda.

Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum ita oculi nostri ad dominum deum nostrum donec misereatur nostri miserere nobis domine miserere nobis. Ps. Ad te domine leuaui oculos meos qui habitas in celis.

Conuerte nos deus. Oro. salutaris noster; et ut nobis ieiunium quadragesimale proficiat, mentes nostras celestibus instrue disciplinis. Per.

Hec. Lectio ezechielis prophete. dicit dominus deus. Ecce ego ipse requiram oues meas; et uisitabo illas. Sicut